


Matthias Stein


**Academiae Rostochiensis Rector Matthias Stein/ ... Dominum Dominantium Uti
Servum Servorum Describens, Cives Academicos, ... Admonet, Hortatur,
Obtestatur**

Rostochii: Typis Joh. Weplingi[i], [1711?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003465463>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1711 Fasten

~~A 1256~~^{123.}

Q. 1711

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

RECTOR

MATTHIAS SEER/

J. U. D. ET COD. PROF. PUBL. ORD.

DOMINUM
DOMINANTUM



UTI

SERVUM SERVORUM

DESCRIBENS,


CIVES ACADEMICOS,

UT NE

PECCATIS SERVIRE PERGANT,

SERIOQVE SEDULOQVE

ADMONET, HORTATUR, OBTESTATUR.



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.

& ACAD. TYPOGR.

M. 1256¹²³



Pectaculorum quotquot vel amatores existitis vel admiratores curiosi, huc, Quæso! spectatum accedite convocati spectaculum, quale plus simplici vice nec olim adspexit Sol, nec adspecturus unquam est in posterum. Non equidem ignorabitis, scio, istud nos temporis hodie ingredi, quo Musicam profanam, ludos publicos, spectacula, & quæcunque carnalem afferre mortalibus lætitiâ possunt, prohibita atque suspensa voluit Ecclesia Christiana, consuetudine admodum laudabili sic sensim invalescente, quasi communi Christiani orbis in luctu. Nihilo tamen minus ad spectaculum Vos, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! invitare audeo, imò & debeo, pro officii, quod gero, ratione. Verum enim vero, non corporeos, velim, huc convertatis oculos, sed spirituales mentis vestræ, eosque Verbi Divini, lucernæ illius in obscuro intellectus nostri loco apparentis, veluti *Petro 2. Epist. I. 19.* audit, radiis illustratos. Univerſus hicce mundus quid aliud, quam ingenti structum opere theatrum est, in quo nunc lata, nunc dira, nonnunquam & lepida hominibus spectacula exhibent homines? Nunc humili e casa egressos serico purpurâque indutos Regum Magnatumque assidentes lateribus cernere datur: nunc queis illustri de stemmate nasci contigit, quique Majorum superbire gloriâ possent, ad infimum dejectos gradum videre licet. Irus & est subito, qui modò Croesus erat. Sed verò nullum adspectu dignius, nullum memorabile magis obvenire oculis nostris spectaculum potest, quam quod olim mundo præsentatum per instans tempus piâ mente recolit Ecclesia Christiana, absque Doctoribus ejusdem de cathedrâ ecclesiasticâ plenius nobis erit referendum. Ecce enim! qui pulchrior est præ filiis hominum factus, specie ac decore vultus est destitutus: Rex gloriæ despectus sit virque dolorum: qui altissimus est, omnium sit infimus: Dominus dominantium fervorem se exhibet servum. Videte, quomodo hæc magnus ille Regni Christi assertor, Paulus describat *Philip. II. 6.7.8.* *Christus Jesus, cum in formâ DEI esset, sunt ejus verba, non rapinam arbitratus est, ut esset equalis DEO, sed semetipsum exinanivit, formâ servi assumptâ, in similitudine hominum constitutus, & habitu repertus ut homo, humilem præbuit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Christum Salvatorem nostrum Dominum esse dominantium, neminem aut ignorare aut negare arbitror, nisi qui veri Filium*
DEI

DEI eundem esse ignoraverit negaveritve. Neque verò secundum Divinam solùm naturam is est; quin & secundum assumptam humanitatem. Humanam enim naturam Filium DEI in suam assumpsisse hypostasin, ut unâ eademqve subsistentiâ & Deus & Homo, ille per se, hic per unionem & assumptionem, subsistat, extra dubium nobis positum est. Sic autem fieri non potuit, quin, una cum subsistentiâ, omnia quoque ἀρχαῖα Divina communicata sint humanæ naturæ, adeoque ea particeps facta sit omnis gloriæ ac majestatis divinæ. Quod ipsum etiam testatur Paulus, *Col. II. 9.* scribens: *In illo (Christo) inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Imo & ipse Salvator istud de semet palam profitetur, *Data est mihi, in-quiens, omnis potestas in cælo & in terrâ, Matth. XXIIII. 18.* Hincque Dominus gloriæ, *1. Cor. II. 8.* & Rex gloriæ, *Pf. XXIV. 7. 9.* dicitur, imò Rex regnantium est ac dominantium Dominus, *1. Tim. VI. 15.* Sed ecce! Servus ipse servorum fit. In formâ DEI quantumvis esset, rapinam tamen arbitratus non est, (non putavit, esse eam rem arrogantia aut avidè captandam, ut solent, qui aliena involant, quæ ipsi optimo jure debebatur, sed posse istius gratiæ usu se abdicare: veluti ὁ Θεὸς ἑαυτοῦ SCHOMERUS Nostras in *Exec. h. l.*) esse æqualiter DEO, seu ita se habere ut Deus, Divinâ valere Majestate; quin semetipsum exinaniverit, dum formam servi assumpsit, & ipse humiliaverit sese, adeo ut factus sit obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Ad hoc quippe in hunc venerat mundum, quemadmodum de semet loquutus erat ipse Discipulis suis: *Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, Matth. XX. 28. Marc. X. 45.* Non igitur forma servi ipsam naturam humanam heic denotare potest, cum per hoc Divina natura propriè loquendo exinanita non sit, quod Filius DEI humanam assumpsit naturam: nec etiam Majestate suâ ipsa se exuerit aut inferior sit facta, ut potius absolutè sit immutabilis, perfectionibus suis incessanter utens. Factus ergo servus est Christus secundum humanam suam naturam, quippe quæ sola mutationis, humiliationis & exinanitionis capax est, non quod ipsa substantialiter considerata sit illa servi forma; sed quoad statum atqve conditionem voluntariè susceptam spectata. Exinanivit se formam servi assumendo, & assumendo servi formam sese exinanivit. Quandoquidem autem, quod semel assumpsit Filius DEI, nunquam deposuit: non ita exinanivit se Christus, ut unio personalis divinæ cum humanâ naturâ fuerit dissoluta, aut Divina Majestas omninò ab eo sublata: cum & hæc, quantum ad possessionem, sit inseparabilis ab eo, utpote unionem hypostaticam necessariò sequens; sed ut Majestatis Divinæ, quam in unione personali humana natura communicatam accepit semperq; possedit, usu

(non quidem omni, siquidem nonnunquam ejus quædam ipsum edidisse, etiam in statu exinanitionis, specimina, sancta refert Evangelistarum Quadriga, sed) plenario ac incessante ipse se abdicaverit, & tanquam vilissimæ conditionis homo sustinuerit, quæ longè infra Divinam fuere Majestatem. Factus quippe obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis. Missus à DEO in Mundum erat, ut pro omnibus totius humani generis peccatis justitiæ Divinæ satisfaceret, patiendo, quæ nos pati oportebat: id quod fieri non potuisset, si divinam suam Majestatem semper & ubique exferere voluisset. Id propter ipse se exinanivit: ut servorum supremi domini jure suorum, imò ut, quod majus, dicam, servorum peccati servus fieret, formam servi assumeret. Testatur ATHENÆUS *Lib. XIV. Deipnosoph. edit. Casaub. Lugd. An. 1612.* Romanos, cum Saturnales agerent dies, servilia obeuntes ministraria servos convivio excipere solitos fuisse, more hoc à Græcis accepto, quandoquidem & idem Festis Mercurii diebus, CARYSTIO in *Histor. Commentar.* attestante, in Creta & alibi observatum fuit, epulantium servorum mensis ministrantibus ac famulantibus Dominis. Idem & ex BEROSO *Lib. I. Babylonicor.* refert, Babylone celebratum fuisse Festum, Saceas dictum, cujus tempore mancipia Dominis imperarint, & ex servis unus quidam præfuerit ædibus, vestem indutus regie similem, quam vocarunt Zoganam. Verùm enim verò, quantumvis & hoc modo Domini suorum se servorum exhibuerint servos, nullâ tamen ratione comparari isti cum hoc possunt, quando Christus Dominus Dominantium servorum factus est servus. Legimus quidem, eundem eò usq; se demisisse, ut discipulis suis serviret lavando eorum pedes & abstergendo, *Joh XIII. 5.* quanquam id alium fecerit in finem, videndum v. 12 --- 18. sed longè durior erat ac gravior, quam pro nobis omnibus subibat, servitus, descripta abs *Esaia Cap. LIII. 4. 5. 6.* *Verè languores nostros ipse pertulit, & dolores nostros ipse portavit: -- vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Disciplina pacis nostra super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisq; in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostram.* Ea itaque nobis intelligitur Christi servitus, cujus ipse meminit *Es: XLIII. 24.* genus mortalium ita alloquutus: *Servire me fecisti in peccatis tuis, fatigas me in iniquitatibus tuis.* Adeoq; totâ suâ passione serviit humano generi, quam quidem integram referre præsentis Scripturæ ratio permittura non est; attamen ea in memoriam nobis ex illâ revocabimus, quæ servilem Christi formam atq; conditionem referunt quam clarissimè. Pertinet huc, quod, cum ad Principem Sacerdotum, et injustum judicem, ductus esset, qui ipse judex futurus est omnium vivorum

ac

ac mortuorum iustissimus, in faciem ejus exspuerunt, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas dederunt ejus in faciem, referente *Matthæo Cap. XXVI. 67.* Ecce enim exspuerunt in faciem illius, nisi ut ostenderent, extremo eundem contemptui, ac si bipedum esset abjectissimus, ab ipsis haberi? Etenim non nisi in vilissimas res sputum ejicitur, nec mittitur in hominem, nisi detestabilis ille sit alteri atque abominationi. Nec minus ex contemptu provenere, quos in faciem ejus dederunt colaphos alapasque. Solet inter colaphum ac alapam alioquin discriminis nonnihil observari, quod colaphus sit, qui digitis compressis & in pugnam contractis capiti corporive reliquo inferitur; alapa verò sit percussio in faciem manu explicata, ita distinguente AUSONIO POPMA *Lib. I. de Differentiis Verbor. voce Colaphus;* de quo quidem heic loci non disputabimus, utut ipsa Scriptura hanc differentiam indicatam velle videatur. Nostro nunc scopo sufficit notasse, ejusmodi percussiones ad contumeliam inferendam comparatas esse, ac servis maximè infligi solere. Ita namque BASIL. FABER *in Lex. voce Alapa,* posteaquam asseruisset, alapam idem esse, quod colaphus; *erat autem,* inquit, *hec cades contumeliosa admodum & servilis.* Eandem quoque emphasin habet græca vox *πάταμα,* ceu videri potest apud LEIGHIUM *Crit. S. N. T. in voce πατίλω.* Unde & SENECA *Lib. de Constant. Sap. Cap. 4. invenies,* scribit, *servum, qui flagellis, quam colaphis cedi malit.* Cur autem hoc? nisi quod indignum magis homine judicetur colaphis aut alapis cedi. Ad contemptum enim despectumque, communi omnium iudicio, infligi alape solent, siquidem illis facies læditur, nobilissima atque honoratissima corporis humani pars, quæ vel ipse DEUS hominem à brutis, quorum terram versus declinantia ora sunt, quantum ad externam corporis speciem, distinctum voluisse videtur. Ecce igitur Christum pro nobis sputamenta, colaphos ac alapas ferentem! Ecce Dominum dominantium servili modo habitum, servorum adeò servum! Quod si plura ejus specimina desiderantur, videmus eundem etiam flagellatum apud *Matth. XXII. 26. Marc. XV. 15. Joh. XIX. 1.* De modo flagellationis Christi varias reperire sententias licet, quæ, si volupe est, videri possunt apud EMUND. MERILLUM *in Nov. Philolog. in Passion Chr. p. m. 21. sq.* Nos iterum duntaxat observamus, flagra seu flagella servilia verbera esse, veluti patet ex *l. 9. §. 1. ff. de injur. & fam. lib.* Conf. item LIPSIUS *Lib. II. de Cruce Cap. 3.* Quin &, honestiorem fuisse castigationem fustium, quam flagellorum, nonnulli observant. Ita MACER, *JCrus, n. l. 10. ff. de Pœn. In servorum persona ita observatur, ut exemplo humiliorum puniantur, & in quibus causis liber fustibus caditur, in his servus flagellis cedi & Domino reddi, jubetur.*

Talem servilem flagellationem sustinuit pro nobis dulcissimus Salvator, sicque servus servorum factus est, qui dominantium est Dominus. Quod verò omnium est maximum, adhuc restat. Factus namque obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis. Hanc crucem Judæi inconditis clamoribus in Christum poposcerant, quem aliàs flagellatum dimissum cupiebat Pilatus, *Joh. XIX. 12.* Erat crucifixionis poena omnium durissima ac truculentissima, utpote diutius crucians, cum crucifixi lentà necarentur morte. Sed & ignominiosissima erat, in latrones, auctores seditionum, patriæ proditores præcipuè statuta. Ideoq; Christum crucis supplicio potissimum affectum, quod crux infame genus esset supplicii, ex **LACTANTIO L. IP. Cap. 26** annotavit **GOTHOFREDUS ad L. 38. §. 2. ff. de poen.** Quin imo & servile fuisse supplicium, quo potissimum in servos statutum fuerit exemplum, cum liberos homines, eodem quamvis in delicto, aliud maneret poenæ genus, edocemur à **ROSINO Lib. IX. Antiquit. Roman. Cap. XXXI. p. m. 1500, ut autem liberi, scribente, de saxo dejiciebantur, sic servi in crucem agebantur.** Et hoc quoq; mortis genus pro nobis subiit Christus. Ipse quamvis non peccaverat poenæ subjiciendus, sustinuit tamen hanc poenam, ut quas peccando promeriti eramus, à nobis poenas auferret ac ab æternis cruciatibus nos redderet redemptos. *Redemit enim nos Christus ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio: scriptum est enim (nimirum Deut. XXI. 23.) Execrabilis omnis, qui pendet in ligno, Gal. III. 13.* Iterum igitur iterumq; Christus in formâ servi sese exhibuit nobis. Quod licet pluribus aliis ostendi exemplis posset; non tamen id nunc à nobis requiri pervasum habemus. Dicta namq; satis confirmant superq; Dominum dominantium factum esse servorum servum. Et facile mecum quilibet confitebitur, longè majore jure Christo hunc convenire titulum, quam illi, qui illius se vicarium in terris vanè jactitat, & ipse servi servorum nomen affectans, eoq; sibi ipsi placens ut quam maximè, Servilia vere pro servis sustinuit Christus; Papa verò Romanus, servum servorum verbis se simulans, re ipsa id molitur, ut Dominantium existat habeaturq; Dominus. Sed quid nobis nunc cum isthoc homine peccati ac filio perditionis? Ad nostrum nos potius convertimus Salvatorem Christum, qui, Dominus dominantium cum esset, humiliavit sese &, formâ servi assumptâ, obediens factus est usq; ad mortem crucis. Id verò eum unicè in finem, ut, qui servi eramus peccati, justoque DEI judicio Diaboli subjecti potestati, ab ea nos redimeret servitute. Hæc igitur, O CIVES! sancto hoc tempore meditemini, neq; hoc solum, sed omni tempore vitæ. Optimè **ADRICHIOMIUS in Præfat. Descript. Terræ S.**
monet

monet : *Non semel hoc meditatū esse sat sit , juvet usq; recolare , decies imo mille
reperita magis ac magis juvabunt . Interim in his die nocteq; contemplari , in his
otitari ac negotiari , in his gloriari , ac totos esse , his invigilare , his indormire ,
his immori , christianissimum est ac maxime salutare .* Meditemini autem hæc
ita , ut vestro fungamini exinde resultante officio . Id equidem varium
esse , constat , quandoquidem *Christus afflictus est pro nobis , relinquens
nobis exemplum , ut insequeremini vestigia ipsius , edicente Petro I. Epist. II.
21. Hic igitur inspicatis exemplum obedientie , patientie , fortitudinis , ca-
ritatis , humilitatis , contemnis mundi , omniumq; virtutum , quod Vobis in
monte Calvaria à Christo ostensum : ita tabernaculum virtutibus adorna-
tum & perfectum DEO in animabus vestris construetis ; ut hortari Vos li-
ceat cum Gregorio Lib. 1. Registr. Cap. 10. ad loc. Ex. XXV. 40. Verun-
tamen hac vice id modò monitos Vos velim , ut ne peccato servire perga-
tis , posteaquam Dominum dominantium nobis , servis suis , in peccatis
nostris servientem vidistis .* Quin potius cogitetis , Christum in assum-
tâ servi formâ libertatem nobis conciliasse , *ut sine timore de manu inimi-
corum nostrorum liberati , servivemus ipsi cum sanctitate & Justitia coram
ipso cunctis diebus vite nostræ , Luc. I. 74. 75. Ecce ! è servitute liberati
sumus , ut servivemus ipsi : tanquam liberi , & non veluti pretextum ha-
bentes malitiæ , libertatem , sed tanquam servi DEI , quemadmodum lo-
quitur Petrus I. Ep. II. 16. Præsertim quidem hoc , quod ingredimur ,
tempore etiam atqve etiam peccata fugitote , ò MEI ! Non estis nescii ,
cum id in finem sanctè à piâ antiquitate observatum esse , & à nobis
itidem observari debere , ut in memoriam revocemus nobis , quantas pas-
siones , quantos cruciatus , ac dolores quantos pro nobis sustinuerit in
servi formâ Dominantium Dominus . Utqve simul , quantum in nobis
est , studeamus , qui nos exhibeamus , servos justitiæ , servos DEI . Pu-
deat proinde Vos Bachî Cererisque mancipiorum vivere in morem . An
enim nescitis , cum Paulo Vos alloqvor Rom. VI. 16. 18. quod cui accom-
modatis Vos ipsos servos ad obediendum , ejus servi estis cui obeditis , sive
peccati ad mortem sive obedientie ad justitiam . Ceterum liberari à peccato ,
servi facti estis justitiæ .* Attendite , Quæso ! quam diversam fortiatur ex-
itum servitus peccati atqve justitiæ , de quo idem differit Divinus Scriptor
*loc. alleg. v. 20. sqv. Quæ si mente vestra seriò voveritis , nullum mihi
dubium est , quin , abdicatâ peccati servitute , justitiæ sitis servituri , duce
ac rectore Spiritu S. Alios igitur gulæ ventriqve servientes si fortè offenderitis ,
evantium si audiveritis clamores , concentibus musicis domos plateasve
replen-*

replentibus si obviam veneritis, eorum Vos, quotquot justitiæ servire cupitis, consortia fugitote. Sint verò vobis voluptati meditationes sanctæ piæq; magnificent animæ vestræ eum, qui servorū se exhibuit servum; gratias agant labia vestra dulcissimo Jesu, Domino nostro, qui pro indignis nobis peccatoribus, servis suis, imò peccati cum eramus servi, dignatus est stupendos non solum, sed & serviles pati cruciatus, mortemque obire servilem, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Ex qua cum nobis pro- venerit vita spiritualis pariter atque æterna, ad ipsum illum preces dirigamus nostras, qui ejusdem nos participes reddere dignetur. Agite, quæso, unanimiter ad eum in cruce pendentem nos convertamus omnes, adoraturi ipsum cum pio illo Bernhardo dicentes:

Salve, salve, Rex Sanctorum,

Spes varia peccatorum,

In hoc ligno tanquam reus

Pendens, verus Homo, DEUS,

Caducis nutans genibus.

O quam pauper, o quam nudus,

Qualis es in cruce ludus!

Diversorum jocus factus,

Sponte tamen, non coactus

Attritus membris omnibus.

Sanguis tuus abundanter

Fusus fluit incessanter,

Quantus quantus, totus totus

Tu in Cruce stans immotus

Præcinctus vili regmine,

O Majestas infinita,

O egestas inaudita,

Quis pro tantâ caritate,

Quæret te in veritate,

Dans sanguinem pro sanguine?

Quid sum tibi responsurus,

Actu nullus, corde durus,

Quid rependam Amatori,

Qui pro me elegit mori,

Ne duplâ morte morerer?

Amor tuus amor fortis,

Quem non vincunt jura mortis,

O quam piâ me sub curâ

Tuâ foves in pressurâ,

Ne morsu mortis vulnerer.

Ecce, tuo pro amore

Te complector cum rubore,

Me coopto diligenter,

Tu scis causam evidentem,

Sed suffer & dissimula.

Hoc quod ago, non te gravet,

Sed me sanet, & me lavet

Inquinatum & ærotum

Sanguis fluens hic per totum,

Ut non supersit macula.

In hac cruce te cruentum,

Te contemptum & discentum

Ut requiram, me impelle,

Et hoc imple mecum velle,

Facturus, quod desidero.

Ut te queram mente purâ,

Sit hac mea prima cura,

Non est labor, nec gravabor,

Sed sanabor, & mundabor,

Cum te complexus fuero.

P. P. Sub Sigillo RECTORALI
Dom. Quinqvag. d. 15. Febr. An. MDCCXI.

monet : *Non semel hoc meditatū esse sat sit, juvet usq̄ recolere
repetita magis ac magis juvabunt. Interim in his die nocteq̄
otitari ac negotiari, in his gloriari, ac totos esse, his invigilar
his immori, christianissimum est ac maxime salutare.* Medite
ita, ut vestro fungamini exinde resultante officio. Id e
esse, constat, quandoquidem *Christus afflictus est pro no
nobis exemplum, ut insequeremini vestigia ipsius, edicente*
21. *Hic igitur inspiciatis exemplum obedientie, patientie,
ritatis, humilitatis, contentus mundi, omniumq̄ virtutum
monte Calvariae à Christo ostensum: ita tabernaculum vir
tum & perfectum DEO in animabus vestris construetis; ut
ceat cum Gregorio Lib. 1. Registr. Cap. 10. ad loc. Ex. XXV
tamen hac vice id modò monitos Vos velim, ut ne peccato
tis, posteaquam Dominum dominantium nobis, servis su
nostris servientem vidistis. Quin potius cogitatis, Chri
tâ servi formâ libertatem nobis conciliaffe, ut sine timore a
corum nostrorum liberati, serviremus ipsi cum sanctitate &
ipso cunctis diebus vite nostre, Luc. I. 74. 75. Ecce! è se
sumus, ut serviremus ipsi: tanquam liberi, & non veluti
bentes malitie, libertatem, sed tanquam servi DEI, quem
quitur Petrus 1. Ep. II. 16. Præsertim quidem hoc, quo
tempore etiam atqve etiam peccata fugitote, ò MEI! No
eum id in finem sanctè à piâ antiquitate observatum est
itidem observari debere, ut in memoriam revocemus nobis
siones, quantos cruciatus, ac dolores quantos pro nobis
servi formâ Dominantium Dominus. Utqve simul, quat
est, studeamus, qui nos exhibeamus, servos justitiæ, serve
deat proinde Vos Bachi Cererisque mancipiorum vivere in
enim nescitis, cum Paulo Vos alloquor Rom. VI. 16. 18. *quo
modatis Vos ipsos servos ad obediendum, ejus servi estis cui
peccati ad mortem sive obedientie ad justitiam. Ceterum libe
servi facti estis justitia.* Attendite, Quaso! quam diversan
itum servitus peccati atqve justitiæ, de quo idem differit Div
loc. alleg. v. 20. sqv. Quæ si mente vestra seriò volveritis.
dubium est, quin, abdicatâ peccati servitute, justitiæ sitis s
ac rectore Spiritu S. Alios igitur gulæ ventriqve servientes si fort
evantium si audiveritis clamores, concentibus musicis dom*

